

Talune di queste obbligazioni hanno un doppio

*Monumenta spec.*, ecc. « Volunt Jadretini semper archiepiscopum eligere de Venetiis et habere a Gradu videlicet usque Caput aggeris, eisque electionem presentabunt domino patriarche Gradensi confirmationem ipsius electionis postulantes... Habeant itaque Jadretini semper comitem de Venetiis, quem dominus dux Venetiarum cum suo consilio eligendum duxerit et constituendum in eadem civitate perpetuo vel ad terminum ad voluntatem et beneplacitum domini ducis Venetiarum suique consili... Jurabunt autem et omnes homines comitatus Jadre a quatuordecim annis et supra fidelitatem domino duci et successoribus suis, et ipsa fidelitatis iuramenta renovabunt singulis decem annis. Jurabunt etiam omnes fidelitatem domino comiti et comitibus omnibus in perpetuum futuris, salva fidelitate domini ducis ad honorem Venetiarum et salutem Jadre... Et quoties Venetiis fecerit exercitum usque Ragusium et a Ragusio et infra, sicut Venetia faciet sic facient Jadretini secundum numerum virorum suorum... Omnes autem, qui erunt amici Venetiarum, Jadretini ipsos pro amicis habebunt. Nec debeant Jadretini compagniam vel societatem aliquam cum ullo habere cursalium vel aliorum, qui sunt manifesti predones aut raubatores, qui homines Venetiarum offendant vel alios Venetiam venientes aut redeuntes ab ea, nec eos debeant recipere vel fidentiam aut securitatem aliquam eis prestare, nec auxilium neque consilium eis impendere, nec in aliquo necessaria ministrare, nec aliquid horum ullo ingenio fieri facere. Item Jadretini parentelas de cetero non contrahent cum Sclavis, nec eos inter se recipient ad habitandum, nisi secundum voluntatem domini ducis Venetiarum. Item abiurabunt Jadretini omni fidelitate et iuramento, quod vel que fecissent contra honorem domini ducis et communis Venetiarum. Obsides autem dabunt Jadretini quadraginta domino duci et communi Venetiarum, quos dominus dux cum suo consilio eligere voluerit et nominare de Jadretinis... Dabunt insuper Jadretini omni anno in Venetiis communi Venetiarum iperperos centum quinquaginta a kalendis martii in perpetuum, aut tria miliaria bonarum cunicularum in Jadretinorum arbitrio. Preterea Ja-